



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An periculosius sit, mori sine sacramento Eucharistiæ, an sine charitate.
tit. 246

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

onus nostrum ipse alleuiat, & ideo iubet ad se venire omnes, &c. Mat. 11. Beatus igitur qui sic munitus sacramentis, recedit &c.

Quintò inquires: Quid tunc de illis qui moriuntur sine sacramentis? an sunt damnati omnes? Respondeo: Hoc fit aut ex contemptu Hæretico, & obstinatione & desperatione, & talis est sine dubio condemnatus, quia talis nō habet excusationem: potuisset enim ad minus vel corde pœnituisse, & fide cōmunicasse, & desiderio orationis fidei in vnctione se Deo commēdasse, si defuisset vsus sacramentorū: tales cū Iuda moriuntur obstinati, Matt. 27. Acto. 1. Vel mori absq; sacramentis fit, aut quia non potest illorum habere copiam, aut quia subito moritur igne vel aqua, &c. ita quod non accessit hic contemptus, & Deus non alligauit potentiā suam sacramentis. Ille moritur cum bono latrone à dextris, Luc. 23. qui se corde & ore cōmendauit Christo, Rogandus est ergo Deus, vt eam gratiam donet, vt muniti sacramentis, recedamus.

*AN PERICVLOSIUS SIT
mori sine sacramento Eucharistia, an
sine charitate.*

TITVLVS CCXLVI.



Rimò notandum, q̄ vtrunq; est necessarium ad salutem, sacramēti fides: Subindē charitas siue vnitas Catholica: sine his duobus nullus moriens saluabitur. Sacramēti fides est, credere Christum tradidisse corpus suū in mortem, & sanguinem suum fudisse in remissionem peccatorum nostrorum, sicut dicit Mat. 26. Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur: Hic est sanguis &c. qui pro vobis effundetur, &c. nisi quis

hæc crediderit, saluus esse nõ poterit. Et sic dicit Chri-
stus Ioan. 6, Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis,
& biberitis eius sanguinem, &c. non habebitis vitam
in vobis. sine hac fide nemo saluabitur.

Secũdò inquit 1. Ioan. 3. In hoc scimus quòd trans-
lati sumus de morte ad vitam, si diligimus. Qui enim
non diligit, adhuc in morte est & nondũ renatus.
Et infra: Hoc est mandatum eius, vt credamus in no-
men vnigeniti filij eius Iesu Christi, & diligamus al-
terutrum, sicut mandatum dedit nobis. Ioan. 13. Hoc
est præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c. & 1.
Cor. 13. inquit Apostolus: Si habuero omnem fidem
&c. Ergo moriens in odio & extra Catholicam vni-
tatem, non saluatur, etiam si fidem sacramenti, etiam
si sacramentum realiter acceperit. Vtrunque ergo, &
fides & charitas, id est, vnitas Catholica, est moritu-
ro necessaria.

Tertiò, quid nunc sit periculosus, An mori sine sa-
cramento Eucharistiæ, an mori extra vnitatem Ca-
tholicam & charitatem. Dico quòd periculosus, mo-
ri extra vnitatem & charitatem, ita vt si vno ex illis
duobus oporteat carere, potiùs sacramento carere
eligerem, quàm charitate. Primò, Quia sine charita-
te Catholica, nec fides sacramenti, nec ipsum sacra-
mentum proderit, 1. Corinth. 13. Si habuero omnem
fidem, prophetiam, bona opera, &cæt. sine charitate
nihil prodest. Subindè, quòd salus æterna non est li-
gata ad corporale sacramentum. Nam hoc solũ est
institutum à Christo ad memoriam passionis, non re-
missionis peccatorum, Luc. 22. Moriens ergo in fide
sacramenti & Catholica vnitate & charitate, etiam si
Eucharistiam non comederit & biberit, aut habere
non potuerit, non damnabitur. Non est negligenda
tamen sumptio sacramenti. Sed si haberi congruè
non possit, non damnabitur, habens fidem sacramen-
ti & vnitatem.

Quartò,

Quartò, hoc ponderare debent Catholici quod ma-
ior est necessitas morienti, vt sine sacramento Eucha-
ristiæ moriatur in vnitae Catholica, quàm à sectari-
js recipere sacramentum, & mori extra charita-
tem Catholicam. Periculosius enim est mori in odio
extra charitatem, quàm sine sacramento corporali.
Ideò nemo in extremis patiat se auelli ab vnitae
Ecclesiæ, per sacramentum sectariorum, sed potius
moriatur in fide sacramenti & Catholica vnitae, &
sic constans circa vnitatem Catholicam. Nam sectarij
regnum DEI non possidebunt, Galat 5. & Matthæi.
5. Christus ante omnia iubet reconciliari fratri.
Ex his liquet, in quo periculo moriantur, qui extra
Catholicam vnitatem & charitatem moriuntur: &
quòd nihil aut parum proderit sacramentum eor-
um extra charitatem Catholicam sumptum. 1. Ioh. 4.
Qui in charitate manet, in Deo manet, & cetera. Hanc
pacem & charitatem requirit Christus in suo aduen-
tu. Si non vult munus extra charitatem, ergò nec ani-
mam tuam & cetera.

DE PATIENTIA ET CON-

solatione morientis.

TITVLVS CCXLVII.



RI Mò, Christus saluator noster quoni-
am verus fuit homo, ideò in horto con-
tremiscit de morte, Matth. 26. Sed con-
fortatur ab angelo, & committit se vo-
luntati patris. Sic omnis homo natura-
liter abhorret mortem, & indiget consolatione. Pri-
mo ergo decubens lecto, & sustinens pœnas grauissi-
mas & dolores, cogitet, quòd hæc est diuina ordina-
tio, & vltio, quæ peccatum punit in corpore, Rom. 8.
Corpus corrumpitur propter peccatum. Et Roma. 6.
Stipendium peccati mors. Sic enim Deus purgat &
punit peccatum in hoc mûdo, quod antè cõmisit. Et
cama